

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1565

Liber VI.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

EPIST. LIB. VI.

ribile, aut pertimescendum. Ego, si uidebitur re-
 de fieri posse, ad te ueniam breui: si quid accide-
 ru, ut mutandum consilium sit; te certiozem fa-
 ciam statim. Tu ita fac cupidus mei uidendi sis,
 ut istinc te ne moueas tam infirma ualetudine, nisi
 ex me prius quaesieris per litteras, quid te uelim
 facere. Me uelim, ut facis, diligas, ualetudiniq.
 tuae, & tranquillitati animi seruias. Vale.

CICERONIS EPISTOLARVM

AD TORQVATVM, ET ALIOS,

LIBER VI.

ARGVMENTVM.

A. Manlium Torquatvm, qui Pompeianas partes secutus
 erat, consolatur in eo, quod Romae non sit; & aliquam fir-
 mul spem reditus ostendit.

Cicero s. D. A. Torquato.

consolatur a com-
 muni hominum
 condicione. &
 aduerte, i. prin-
 cipio huius epi-
 stolae quater
 esse reperitur,
 etiam, tamen:
 quod in nobis
 initio ducere-
 tur.

ep. 4. & 13. l. 4.
 & 30. lib. 7 au-
 rum autem ten-
 sum plus dolo-

ET SI ea perturbatio est omnium rerum,
 ut suae quemque fortunae maxime pae-
 niteat; nemoq. sit, quin ubiuis, quam
 ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non
 est, quin hoc tempore bono uiro, Romae esse, mi-
 ferrimum sit. nam etsi, quocumque in loco quis-
 que est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas
 ex interitu rerum & publicarum, & suarum:
 tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri
 audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseris
 cogita

cogitationem sinunt. Quare, etsi multarum rerum desiderio te angere necesse est: tamen illo dolore quo maxime te confici audio, quod Romae non sis, animum tuum libera. etsi enim cum magna molestia tuos, tuaque desideria: tamen illa quidem, quae requiris, suum statum tenent, nec melius, si tu adesses, tenerent, nec sunt ullo in proprio periculo. nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut precipuam aliquam fortunam postulare, aut communem recusare. De te autem ipso, Torquate, est tuum sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem, aut timorem. nec enim is, qui in te adhuc iniustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati, nec tamen is ipse, a quo salus petitur, habet explicatam, aut exploratam rationem salutis suae. **CVM Q.** omnium bellorum exitus incerti sint; ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem se-
iunctum sit ab omnium interitu; ab altera te ipsum nunquam timuisse, certo scio. Reliquum est, ut te id ipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maxime excruciet, commune periculum reip. cuius tanti mali, quamuis docti viri multa dicant, tamen vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri, praeter illam, quae tanta est, quantum in cuiusque animo roboris est, atque nervorum. si enim, **BENE** sentire, re-

ris afferre, quae oculorum, dixit supra ad Marcellum, ep. 9. l. 4. oratoris hoc est, eisdem rebus, si res postulet, uel contrarijs uti.

a Caesare.

a Pompeio.

cum iam ostenderim, tibi de te ipso nihil esse timendum.

a conscientia consolationem hauriri uult.

N 3 Et eq.

Eteq. facere, satis est ad bene beateq. uiuendum :
 uereor, ne, eum, qui se optimorum consilio-
 rum conscientia sustentare possit, miserum esse,
 nefas sit dicere. nec enim nos arbitror, uicto-
 riae praemijs ductos, patriam olim, & liberos,
 et fortunas reliquisse: sed quoddam nobis officium
 iustum, & pium, & debitum reip. nostraeq. di-
 gnitati uidebatur: qui neque, cum id facieba-
 mus, tam eramus amentes, ut explorata nobis
 esset uictoria. quare, si id euenit, quod ingredien-
 tibus nobis in causam propositum fuit accidere
 posse: non debemus ita cadere animis, quasi
 aliquid euenit, quod fieri posse numquam puta-
 rimus. Simus igitur ea mente, quam ratio, &
 ueritas praescribit; ut nihil in uita nobis prae-
 standum praeter culpam putemus; eaq. cum ca-
 reamus, omnia humana placate, & moderate
 feramus. Atque haec eo pertinet oratio, ut, per-
 ditis rebus omnibus, tamen ipsa uirtus se susten-
 tare posse uideatur. sed, si est spes aliqua rebus
 communi, ea tu, quicumque status est futu-
 rus, carere non debes. Atque haec mihi scriben-
 ti ueniebant in mentem, me eum esse, cuius tu
 desperationem accusare solitus esses, quemq. au-
 ditoritate tua cunctantem, & diffidentem exci-
 tare. quo quidem tempore non ego causam no-
 stram, sed consilium improbabam. sero enim nos
 ijs armis aduersari uidebam, quae multo ante con-
 firmata per nosmet ipsos erant: docebaque, pilis,

bonus uir non
 spem sequitur,
 sed officium. ui
 de ep. 5. l. 5.

si essent perdi-
 tae res, tamen
 te tua uirtus
 Torquate con-
 solari deberet.

in causa Pom-
 pciana.

cum Caesari Ga-
 lias in alterum
 quinquennium
 prorogauimus.

& gladijs, non consilijs, neque auctoritatibus
 nostris, de iure publico discēptari. Neque ego ep. 7. lib. 4.
 ea, quae facta sunt, fore cum dicebam, diuina-
 bam futura: sed, quod & fieri posse, & exitio-
 sum fore, si euenisset, uidebam, id ne accideret,
 timebam; praesertim cum, si mihi alterutrum
 de euentu, atque exitu rerum promittendum es-
 set, id futurum, quod euenit, exploratius pos-
 sem promittere. ijs enim rebus praestabāmus,
 quae non prodeunt in aciem: usu autem armo- de Caesaris ui-
 rum, & militum robore inferiores eramus. Sed ctoria.
 tu illum animum nunc adhibe quaeso, quo me tum idem aliis uer-
 esse oportere censebas. Haec eo scripsi, quod mi- bis ep. 7. l. 4.
 hi nunc Philargyrus tuus, omnia de te requiren-
 ti, fidelissimo animo, ut mihi quidem uisus est,
 narrauit, te interdum sollicitū solere esse uehe-
 mentius, quod facere non debes, nec dubitare, ep. 3. lib. 4.
 quin aut aliqua rep. sis futurus, qui esse debes; in summa di-
 aut, perdita, non afflictiore condicione, quam ce- gnitate.
 teri. hoc uero tempus, quo exanimati omnes, &
 suspēsi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes,
 quod & in ea urbē es, ubi nata, & alta est ratio, Athenis. ep. 3.
 ac moderatio uitae: & habes Ser. Sūlpiciū, Achaiae praefe-
 quem semper unice dilexisti; qui te profecto & ctum ep. 4. l. 4.
 beneuolentia, & sapientia consolatur. cuius si & 6. huius lib.
 essemus auctoritatem, & cōsiliū secuti; to- suase Sulpicius
 gati potius potentiam, quam armati uicto- bellum ciuile
 riam subissemus. Sed haec longiora fortasse fue- fugiendū ep. 4.
 runt, quam necesse fuit. illa, quae maiora sunt, lib. 4.
 breuius

sine ulla uide-
ret auctori-
te.

brevius exponam. Ego habeo, cui plus, quam tibi, debeam, neminem, quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi huius belli casus eripuit. qui sim autem hoc tempore, intelligo. sed quia NEMO est tam afflictus, qui, si nihil aliud studeat, nisi id, quod agit, non possit nauare aliquid, & efficere: omne meum consilium, operam, Studium certe uelim existimes tibi, tuisque liberis esse debitum. Vale.

ARG. Primum se excusat, quod minus saepe scribat: deinde, de reditu Torquati esse impetratum, significat: & consolationis loco subiungit, nihil ei praecipue timendum.

M. Cicero s. D. A. Torquato.

translatum uer-
bum, quia dix-
erat, grauitate.

continuis bel-
lis uexari.

Pompeianos.

PETO ate, ne me putes obliuione tui rarius ad te scribere, quam solebam, sed aut grauitate ualitudinis, qua tamen iam paullulum uideo leuari; aut quod absim ab urbe, ut, qui ad te proficiscantur, scire non possim. quare uelim ita statutum habeas, me tui memoriam summa cum beneuolentia tenere, tuasque omnes res non minori mihi curae, quam meas, esse. Quod maiore in uarietate uersata est adhuc tua caussa, quam homines aut uolebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum, quod moleste feras. necesse est enim, aut armis urgeri remp. sempiternis, aut, his positis, recreari aliquando, aut funditus interiri. si arma ualebunt: nec eos, a quibus recipieris, uereri debes, nec eos quos adiuuisti. sin, armis aut condicio-
ne

ne positis, aut defatigatione abiectis, aut uictoria detractis, ciuitas respirauerit: & dignitate tua frui tibi, & fortunis licebit. sin omnino interierint omnia; fueritq. is exitus, quem uir prudentissimus M. Antónius iam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, tali praesertim ciui, & uiro, sed tamen necessaria, NIHIL esse praecipue cuiquã dolendũ in eo, quod accidat uniuersis. Quae uis insit in his paucis uerbis, (plura enim committenda epistolae non erant) si attendes, quod facis: profecto etiam sine meis litteris intelliges, te aliquid habere, quod speres; nihil, quod aut hoc, aut aliquo reip. statu timeas; omnia si interierint, cum superstitem te esse reip. ne si liceat quidem uelis, ferendam esse fortunam, praesertim quae absit a culpa. Sed haec haec tenus. Tu uelim scribas ad me, quid agas, & ubi futurus sis; ut, aut quo scribam, aut quo ueniam scire possim. Vale.

orator ille summus.

quia nihil est praeterea, quod consolari possit.

qui perditus plane non est.

epist. 2.

ARG. Consolari uult; sed, quia nihil aliud ad consolandum suppetit, consolationem ait debere esse optimorum consiliorum conscientiam.

M. Cicero s. D. A. Torquato 3

SUPERIORIBVS litteris, beneuolentia magis adductus, quam quod res ita postularet, fui longior. neque enim confirmatione nostra egebat uirtus tua: neque erat ea mea causa, atque fortuna, ut, cui omnia deessent, alterum confir-

uirtus est in aduersis fortiter ferendis.

confirmarem. hoc item tempore brevior esse debeo. siue enim tum nihil opus fuit tam multis uerbis; nihilo magis nunc opus est: siue tam opus fuit; illud satis est, praesertim cum accesserit nihil noui. nam, etsi quotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri existimo: summa tamen eadem est, & idem exitus, quem ego tam uideo animo, quam ea, quae oculis cernimus. nec uero quidquam uideo, quod non idem te uidere certo sciam. nam etsi, quem exitum acies habitura sit, diuinare nemo potest: tamen & belli exitum uideo, & si id minus, hoc quidem certe, cum sit necesse alterutrum uincere, qualis futura sit uel haec, uel illa uictoria. idque cum optime perspexi, tale uideo, nihil ut mali uideatur esse futurum, si id uel ante acciderit, quod uel maximum ad timorem proponitur. **I**T A enim uiuere, ut non sit uiuendum, miserrimum est: mori autem nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua haec uel plura, & ornatiore parietes ipsi loqui posse uideantur. Ego tibi hoc confirmo, **E**T S I leuis est consolatio ex miseris aliorum, nihilo te nunc maiore in discrimine esse, quam quemuis aut eorum, qui discesserint, aut eorum, qui remanserint. alteri dimicant: alteri uictorem timent. Sed haec consolatio leuis, illa grauior. qua te uti spero, ego certe utor. nec enim, dum ero, angar ulla re, cum omni uacem culpa;

&

que geruntur
in Hispania.

ep. 12. lib. 5. dixit, cernere animo.

utriusque uictoriam uideo crudelium ep. 9. & 14. l. 4. & prima & sequenti huius lib.

quod ad timorem proponitur. Athenis. ep. 1. & in Bruto in extremo.

ab illo: qui uictorem timent.

Et, si non ero, sensu omnino carebo. Sed rursus
 γλαυκῆς Ἀδίνος, qui ad te haec. Mihi tu, tui,
 tua omnia maximae curae sunt, & dum uiuam,
 erunt. Vale.

officio fere so-
 let Cicero epi-
 stolas claudere.
 quod exem-
 pla declarant.

A. B. G. Consolatoria epistola, rationibus undecumque
 collectis; sed, si consideras, desperationem potius continet.

M. Cicero s. D. A. Torquato. 4

NOVI, quod ad te scriberem, nihil erat:
 Et tamen, si quid esset, sciebam te a tuis certio-
 rem fieri solere. de futuris autem rebus etsi sem-
 per difficile est dicere; tamen interdum coniectu-
 ra possis propius accedere, cum res est eiusmodi.
 cuius exitus prouideri possit. Nunc tantum ui-
 demur intelligere, non diuturnum bellum. et si id
 ipsum non nullis uideatur secus. equidem, cum
 haec scribebam, aliquid iam actum putabam;
 non, quo ego certo scirem; sed, quod non diffi-
 lis erat coniectura. nam cum omnis belli Mars
 communis, & cum semper incerti exitus proelio-
 rum sunt: tum hoc tempore ita magnae utrum-
 que copiae, ita paratae ad depugnandum esse di-
 cuntur, ut, utercumque uicerit, non sit mirum
 futurum. Illa in dies singulos magis magisque opi-
 nio hominum confirmatur; etiam si inter causas
 armorum aliquantum interijt, tamen inter uicto-
 rias non multum interfuturum. alteros prope-
 modum iam sumus experti: de altero, nemo est
 quin cogitet quam sit metuendus iratus uictor ar-
 matus. Hoc loco si uideor augere dolorem tuum,
 quem

inter Caesarem,
 & reliquias P^o
 peianorum par-
 tium, in Hupa-
 nia pugnantes.

Pompeianos.
 uide op. 21. 1. 5.

semper, ubi ad
consolandum
alia defunt, ad
hanc rationem
decurrit.

cum uerbo fer
re uirtutē con
iungit.

Torquati filijs.
festiuitas i pue
ris amabilis.
ep 10. lib. 1. ad
Act.

ep. 9. lib. 2.
a l'minandum
Torquati defi
ctum.

quem consolando leuare debebam; fateor me com
munium malorum consolationem nullam inueni
re; praeter illam; quae tamen, si possis eam sus
cipere, maxima est, quae ego quotidie magis
utor; **C O N S C I E N T I A M** rectae uoluntatis
maximam consolationem esse rerum incommoda
rum, nec esse ullum magnum malum praeter cul
pam. a qua quando tantum absumus, ut etiam
optime senserimus, euentusq. magis nostri con
siliij, quam consilium reprehendatur; & quan
do praestitimus, quod debuimus: moderate, quod
euenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo,
ut te consoler de communibus miserijs, quae &
ad consolandum maioris ingenij, & ad ferendum
singularis uirtutis indignet. Illud cuius facile
est docere, cur praecipue tu dolere nihil debeas.
eius enim, qui tardior in te leuando fuit, quam
fore putaramus, non est mihi dubia de tua salu
te sententia; de alijs autem non arbitror te ex
spectare quid sentiam. Reliquum est, ut te an
gat, quod absis a tuis tam diu, res molesta, prae
sertim ab ijs puëris, quibus nihil potest esse se
stinius. sed, ut antea ad te scripsi, tempus est hu
iusmodi, ut suam quisque condicionem miseri
mam putet & ubi quisque sit, ibi esse minime
uelit. equidem, nos quod Romae sumus, miser
rimum esse duco; non solum, quod in omnibus ma
lis acerbius est uideri, quam audire; sed etiam,
quod ad omnes casus subitorum periculorum ma
gis

gis obiecti sumus, quam si abessemus. etsi me ipsum consolatore tuum non tantum litterae, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigauit. quanto fuerim dolore, meministi. in quo prima illa consolatio est, uidisse me plus, quam ceteros, cum cupiebam quamuis iniqua condicione pacem. quod etsi casu, non diuinatione mea, factum est: tamen hac inani prudentiae laude delector. deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam uocer ad exitum uitae, non ab ea rép. auellar, qua cendum esse doleam, praesertim cum id sine ullo sensu futurum sit. Adiuuat etiam aetas, & ad iam uita; quae cum cursu suo bene confecto deletatur, tum uetat in eo uim timere, quo nos iam natura ipsa paene perduxerit. Postremo is uir, uel etiam ij uiri hoc bello occiderunt, ut impudentia uideatur, eandem fortunam, si res cogat, recusare. Equidem mihi omnia propono: nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere: sed cum plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso, quod timetur; desino; praesertim cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, uerum finis etiam doloris futurus sit. Sed haec satis multa, uel plura potius, quam necesse fuit. facit autem non loquacitas mea, sed beneuolentia longiores epistolas. Seruium discessisse Athenis, moleste tuli. non enim dubito, quin magnae tibi leuationi sit solitus esse quotidianus congressus,

belli ciuiliis in-
tio.

a conscientia.

a statu reip.

eripit sensum
mortuis, ex Ari-
stotelis senten-
tia in ethicis.

Pompeius Ma-
gnus.

interitus.

Sulpicium. ui-
de ep. 4. l. 4. &
6. huius lib.

&

*& sermo cum familiarissimi hominis, tum opti-
mi, & prudentissimi uiri. Tu Velim te, ut debes,
& soles, tua uirtute sustentet. ego, quae te uel-
le, quaeq. ad te, & ad tuos pertinere arbitra-
bor, omnia studiose, diligenterq. curabo. quae cum
faciam; beneuolentiam tuam erga me imitabor,
merita non aessequar. Vale.*

uide similem
sententiam, alijs
uerbis expres-
sam, ep 8 lib. 1.
in fine, & 13.
l. v.

ARG. Caecinam, qui pro Pompeio contra Caesarem pu-
gnauerat, patria carentem bene sperare iubet; seq. ei nul-
la in re defuturum pollicetur. Et autē Caesarem ignouisse,
Hirtius tradit de bello Africano.

Cicero s. D. A. Caecinae

ornata locutio
ob eiusdem uer-
bi repetitionē
uide ep 2 l. 3.
& 6. l. x. & 41.
l. 13.

*Q V O T I E S C V M Q V E filium tuum ui-
deo, (uidēo autem fere quotidie) polliceor ei stu-
dium quidem meum, & operam sine ulla exce-
ptione aut laboris, aut occupationis, aut tempo-
ris; gratiam autem, atque auctoritatem cum hac
exceptione, quantum ualeam, quantumq. pos-
sim. Libertus & lectus est, & legitur a me
diligenter, & custoditur diligentissime. Res, &
fortunae tuae mihi maximae curae sunt: quae e-
quidem quotidie faciliores mihi, & meliores ui-
dentur; multisq. uideo magnae esse curae: quo-
rum de studio, & de sua spe filium ad te perscri-
psisse carto scio. ijs autem de rebus, quas coniectu-
ra consequi possumus, nōn mihi sumo, ut plus
ipse prospiciam, quam te uidere, atque intelligere
mihi persuaserim. sed tamen, quia fieri potest, ut
tu ea perturbatiore animo cogites, puto esse me-
um, quid sentiam, exponere. Ea natura rerum
est,*

de futuris dictu-
ri uitemus ar-
rogantiam Ci-
ceronis exem-
plo.
cōsolatio a na-
tura rerum.

est, & is temporum cursus, ut non possit ista aut tibi, aut ceteris fortuna esse diuturna, neque haerere in tam bona causa, & in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Quare ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem, & uirtutem tuam, (haec enim ornamenta sunt tibi etiam cum alijs communia) accedunt tua praecipua, propter excellens ingenium, summamque uirtutem: cui mercede hic, cuius in potestate sumus, multum tribuit. itaque ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delentur, se uiolatum putasset. quod ipsum lenitur quotidie: significaturque nobis ab ijs, qui simul cum eo uiuunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenij apud ipsum plurimum profuturam. Quapropter primum fac animo forti, atque magno sis. ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum sit. deinde spem quoque habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. a me uero tibi omnia, liberisque tuis paratissima esse confidas uelim. id enim & uetustas nostri amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postulant. Vale.

ARG. Ad confirmandum Caecinae exulis animum diuinationem quandam inducit, sumptam ex Caesaris natura, & ex ciuiliu temporum ratione.

Cicero S. D. Caecinae. 6

VERBOR, ne desideres officium meum:
quod

a causa.

uide uirtutem pro praestantia quadam in rebus omnibus, & paullo post pro scientia.

ingenio Caecinae.

Caesaris ira, quia contra eum scripseris, quotidie lenitur.

sume hinc ad augendam copiam. sunt enim optabilia haec quattuor, natus, educatus, doctus, cognitus.

quia mul-
peium secuti
sumus.

nota coniuncta
uerba in rebus
optatis.

translatū tran-
sato reddidit,
quia dixerat
imbecillum.

uide ep. 9. l. 1.
& 1. l. 7.

ab Etruscis enī
orta diuinandi
ratio. de Diu.
lib. 1.

quod tibi pro nostra & meritorum multorum,
& studiorum, & partium coniunctione deesse
non debet: sed tamen uereor, ne litterarum a
me officium requiras; quas tibi & iampridem,
& saepe misissem; nisi, quotidie melius exspe-
ctans, gratulationem, quam confirmationem ani-
mi tui, complecti litteris maluissem. nunc au-
tem, ut spero, breui gratulabimur: itaque in
aliud tempus id argumentum epistolae differo.
his autem litteris animum tuum, quem minime
imbecillum esse & audio, & spero, etsi non sa-
pientissimi, at amicissimi hominis auctoritate
confirmandum etiam atque etiam puto, nec ijs
quidem uerbis, quibus te consoler ut afflictum,
& iam omni spe salutis orbatum, sed ut eum,
de cuius incolumitate non plus dubitem, quam
te memini dubitare de mea. nam cum me ex re-
publica expulissent ij, qui illam cadere posse, stan-
te me, non putarunt: memini me ex multis ho-
spitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, ue-
nerant, audire, te de glorioso, & celeri reditu
meo confirmare. si te ratio quaedam Etruscae
disciplinae, quam a patre, nobilissimo, atque
optimo uiro, acceperas, non fefellit: nec nos qui-
dem nostra diuinatio faller, quam tum sapientis-
simorum uirorum monumentis, atque praecep-
tis, plurimoque, ut tu scis, doctrinae studio, tum
magno etiam usu tractandae reipublicae, ma-
gnaq. nostrorum temporum uarietate consecuti su-
mus.

mus. cui quidem diuinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in his tā ōbscuris rebus, tamq. perturbatis umquam omnino fefellit. dicerem, quae antea futura dixissem, ni uererer, ne ex euentis fingere uiderer. sed tamē plurimi sūnt testes, me & initio, ne coniungeret se cum Caesare, monuisse Pompeium, & postea, ne seiungeret. coniunctione frangi senatus opes, disjunctione ciuile bellum excitari uidebam. atque uidebar familiarissime Caesare, Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cum fidele Pompeio, tum salutare utrique. Quae praeterea prouiderim, praetero. nolo enim hānc, de me optime meritum, existimare, ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, & princeps, sed tantas ōpes, quantas nunc habet, non haberet. Eundum in Hispaniam censui. quod si fēcisset, ciuile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi ābsentis non tam pugnaui ut liceret, quam ut, quando, ipso cōsule pugnante, populus iusserat, haberetur. Causa belli orta est: quid ego praetermisi aut monitorum, aut querelarum? cum uel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Victa est auctoritas mea non tam a Pomponio, (nam is mouebatur) quam ab ijs, qui duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domesticis, & cupiditatibus suis illius belli uictoria fore putabant. Susceptum bellum est, quiescen-

cum de bellorū
ciuiliū & ori
gine, & euentū
praedixi.

idem in Philip-
pica 2.

Caesarem; qui
ei reditum in
patriam con-
cesserat.

refertur nō ad
diuitias, sed ad
potentiam.
Pompeius.

Caesaris.

Pōpeio tertiu
consule. ep. 3.
lib. 8. Att. & T.
l. 7. ibid & Czf.
l. 1. bel. ci.
uide ep. 3. l. 7.

propter aes alie
num. ep. 3. l. 7.

quoad sermo-
nes bonorum
me reprehen-
dentium susti-
nere potui;
tollitur in qui-
busdā libris ne-
gatiua; ut Pom-
peius, desertor
Ciceronis, accu-
setur.

Oratio pro
Marcello

augurali. de in-
uolatu autem,
cantu, somniis
uide lib. 1. de di-
uin. in princi-
pio. & de Nat.
de. lib. 2.

Caesaris natu-
ra.

ep. 8. lib. 4.

quae supplex
pro te rogabit.

te me: depulsum ex Italia, manente me quoad
potui. sed ualuit apud me plus pudor meus, quā
timor. ueritus sum deesse Pompeij saluti, cum
ille aliquando nōn defuisset meae. itaque uel offi-
cio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in
fabulis Amphiaraus, sic ego prudens, & sciens
ad pēstem ante oculos positam sum profectus.
quo in bello nihil aduersi accidit non praedicente
me. Quare, quando, ut augures, & astrologi so-
lent, ego quoque augur publicus ex meis supe-
rioribus praediētis constitui apud te auctoritatē
augurij, & diuinationis meae, debet habere fi-
dem nostra praediētio. non igitur ex alitis inuo-
latu, nec e cantu sinistro oscinis, ut in nōstra di-
sciplina est, nec e tripudij solistimis, aut somnijs
tibi auguror: sed habeo alia signa, quae obser-
uem: quae etsi non sunt certiora illis, minus ta-
men habent uel obscuritatis, uel erroris. No-
tantur autem mihi ad diuinandum signa duplici
quadam uia: quarum alteram duco e Caesare ip-
so, alteram e temporum ciuiliū natura, atque
ratione. In Caesare haec sunt, mitis clemensq. na-
tura, qualis exprimitur praeclare illo libro que-
rellarum tuarum. accedit, quod mirifice ingenij
excellentibus, quale est tuum, delectatur. prae-
terea, cedit multorum iustis, & officio incensis.
non inanibus, aut ambitiosis uoluntatibus. in
quo uehementer eum consentiens Etruria moue-
bit. Cur haec igitur adhuc parum profecerunt?

Quia

Quia non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui iustius uidetur irasci posse, concesserit. Quae est igitur, inquires, spes ab irato? Eodem fonte se habentem intelligit laudes suas, e quo sit leuiter aspersus. postremo, homo est ualde acutus, & multum providens: intelligit, te, hominem in parte Italiae minime contemnenda facile omnium nobilissimum, & in communi rep. cuius summorum tuae aetatis uel ingenio, uel gratia, uel fama populi R. parem, non posse prohibere a rep. diutius. nolet hoc temporis potius esse aliquando beneficium, quam iam suum. Dixi de Caesare: nunc dicam de temporum, rerumq. natura. Nemo est tam inimicus ei causae, quam Pompeius animatus melius, quam paratus, susceperat, qui nos malos ciues dicere, aut homines improbos audeat. in quo admirari soleo grauitatem, & iustitiam, & sapientiam Caesaris: numquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. at in eius personam multa fecit asperius. armorum ista, & uictoriae sunt facta, non Caesaris. at nos quemadmodum est completus? Cassium sibi legauit: Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae: Marcellum, cui maxime succensebat, cum summa illius dignitate restituit. Quo igitur haec spectant? rerum hoc natura, et ciuiliu temporum non patietur: nec manens, nec mutata ratio feret, primum ut non in causa pari eadem sit & condicio, et fortuna omnium: de-

O 2 inde

tacite Caecinā hortatur, ut Caesarem edico libro laudet: cui alio libro male dixerat, ut apparet ex epistola praecedenti, & ex Suetonio.

simile ep. 4.

Marcū Brutū, uide in Oratore, & ep. 26. lib. 12. ad Att. de Cassio ep. 15. l. 15. de Sulpicio ep. 4. 14.

alludit ad eos, quos, lege Pompeia damnatos, Caesar restituerat: Suetonius. *inde ut in eam ciuitatem boni uiri, & boni ciues, nulla ignominia notati, non reuertantur, in qua tot, nefariorum scelerum condemnati, reuertentur. Habes augurium meum. quo, si quid ad dubitarem, non potius uterer, quam illa consolatione, qua facile fortem uirum sustentarem, te, si explorata uictoria arma sumpsisses pro rep. (ita enim tum putabas) non nimis esse laudandum: sin propter incertos exitus, euentusq. bellorum posse accidere, ut uinceremur, putasses; non debere ad secundam fortunam bene paratum fuisse, aduersam ferre nullo modo posse. Disputarem etiam, quanto solatio tibi conscientia tui facti, quantae delectationi in rebus aduersis litterae esse deberent. Commemorarem non solum ueterum, sed horum etiam recentium uel ducum, uel comitum tuorum grauissimos casus. etiam externos multos claros uiros nominarem. L. H. V. A. T. enim dolorem communis quasi legis, & humanae condicionis recordatio. Exponerem etiam, quemadmodum hic, & quanta in turba, quantaq. in confusione rerum omnium uiueremus. necesse est enim minore desiderio perdita rep. carere, quam bona. sed hoc genere nihil opus est. incolumem te cito, ut spero, uel potius ut perspicio, uidebimus. Interea tibi absenti, & huic, qui adest, imagini animi, & corporis tui, constantissimo, atque optimo filio tuo studium, officium, operam, laborem meum iam pridem*

a fortitudinis laude.
a conscientia rege factorum.
 dux Pompeius: comites, Domitius, Lentulus, alii, qui perierant.
a statu reip. misero.
a spe. non dubia.
 qui aduersam fortunam fortiter ferat.

et

Et pollicitus sum, & detuli, nunc hoc amplius, quod me amicissime quotidie magis Caesar amplectitur, familiares quidem eius sicuti neminem, apud quem quidquid ualebo uel auctoritate, uel gratia, ualebo tibi. Tu cura, ut cum firmitudine te animi, tum etiam spe optima sustentens, Vale.

iteratio uerbi
ep. xi. & 18. la.

ARG. Primum agit de libro, quem in Caesarem scripserat: deinde studiose rogat, ut ueniam sibi a Caesare, potestate inq. impetret redeundi.

Caecina s. D. Ciceroni.

7

Quo d tibi non tam celeriter liber est reditus, ignosce timori nostro, & miserere temporis. filius, ut audio, pertimuit, (neque iniuria) si liber exisset, quando non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur, ne ea res inepte mihi noceret; cum praesertim adhuc styli poenas dem. qua quidem in re, singulari sum fato. nam, cum mendum scripturae litura tollatur, stultitia fama multetur: meus error exsilio corrigitur: cuius summa criminis est, quod armatus aduersario male dixi. nemo nostrum est, ut opinor, quin uota uictoriae suae fecerit: nemo, quin, etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, ut quamprimum Caesar superaretur, optarit. hoc si non cogitat, omnibus rebus felix est. si scit, & persuasus est: quid irascitur ei, qui aliquid scripsit contra suam uoluntatem, cum ignorit omnibus, qui multa deos ne

non est hic liber Caecinae contra Caesaris scriptus, sed potius cum Caesaris laude. quod fortasse Caecina fecit a Cicerone admonitus, epistola praecedenti. de illo autem maledico libro significat, cum infert, Cum adhuc styli poenas dem.

fic, Multa peccat, alibi Cicerone dixit.

O 3 nerati

nerati sint contra eius salutē? Sed, ut eodem re-
uertar, caussa haec fuit timoris: scripsi de te, par-
ce mediufidius, & timide, non reuocans me ip-
se, sed paene refugiens. genus autem hoc scriptu-
rae non modo liberum, sed incitatum, atque ela-
tum esse debere, quis ignorat? solutum existima-
tur esse, alteri maledicere: tamen cauendum est,
ne in petulantiam incidas. impeditum, se ipsum
laudare, ne uitium arrogantiae subsequatur. so-
lum uero liberum, alterū laudare. de quo quid-
quid detrahas, necesse est aut infirmitati, aut
inuidiae assignetur. Ac, nescio an tibi gratias, op-
portuniusq. acciderit. nam, quod praestare non
poteram, primum erat non attingere: secundum
beneficium, quam parcissime facere. sed tamen
ego me quidem sustinui: multa minui: multa su-
stuli: complura ne posui quidem. Q V E M A D-
M O D V M igitur, scalarum gradus si alios tol-
las, alios incidas, non nullos male haerentes re-
linquas, ruinae periculum struas, non adscensum
pares: sic tot malis tum uictum, tum fractum
studium scribendi, quid dignum auribus, aut pro-
babile potest afferre? Cum uere ad ipsius Caesaris
nomen ueni, toto corpore contremisco, non poe-
nae metu, sed ipsius iudicij: totum enim Caesarem
non noui. Quem putas animum esse, ubi secum
loquitur? hoc probabit: hoc uerbum suspiciosum
est. quid, si muto? at uereor, ne peius sit. Age
uero, laudo aliquem; num offendo? cum porro
offen-

si perfecte non
laudes.

in ea libri par-
te, qua Cicero-
nem laudabat.

meum,

offendam, quid si non uult? armati stylum persequitur: uicti, & non dum restituti quid faciet? Auges etiam tu mihi timorē, qui in Oratore tuo cāues tibi per Brutum, & ad excusationem socium quaeris. ubi hoc omnium patronus facit; quid me, ueterem tuum, nunc omnium clientem, sentire oportet? In hac igitur calumnia timoris, & caecae suspicionis tormento cum plurima ad alieni sensus coniecturam, non ad suum iudicium, scribantur, quam difficile sit euadere, si minus expertus es, quod te ad omnia summum, atque excellens armauit ingenium, nos sentimus. sed tamen ego filio dixeram, librum tibi legeret, & auferret, aut ea condicione daret, si reciperes te correcturum, hoc est, si totum alium faceres. De Asiatico itinere, quamquam summa necessitas premebat, ut imperasti, feci. Te pro me quid hortor? uides tempus uenisse, quo necesse sit de nobis cōstitui. nihil est mi Cicero, quod filium meum expectes. adolescens est: omnia excogitare uel studio, uel aetate, uel metu non potest. totum negotium tu sustineas oportet. in te mihi omnis spes est. tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Caesar, tēnes. a te omnia profiscantur, & per te ad exitum perducantur necesse est. apud ipsum multum, apud eius omnes plurimum potes. unum si tibi persuaferis, non hoc esse tui muneris, si quid rogatus fueris, ut facias, (quamquam id magnum, &

in extremo lib.
qui, Orator, in
scriptus est.

quo cogitat is,
qui scribit.

epistola sequen
ti.

studium hic est
animi quaedam
uolens affe-
ctio.

in hac epistolae
parta tria dicit
& intelligi Ci-
cero, & potes,
& soles.



miseris enim tā
an tācter petere
uix licet.

amplum est) sed totum tuum esse onus, perfici-
es. nisi forte aut in miseria nimis stulte, aut in
amicitia nimis impudenter tibi onus impono.
sed utrique rei excusationem tuae uitae consuetu-
do dat. nam quod ita consuesti pro amicis labo-
rare, non iam sic sperant abs te, sed etiam sic im-
perant tibi familiares. Quod ad librum attinet,
quem tibi filius dabit; peto a te, ne exeat; aut
ita corrigas, ne mihi noceat. Vale.

ARG. Datum sibi a Balbo, & Oppio scribit, ut Caecinae
liceret esse in Sicilia: ibiq. ut commoretur, suadet.

Cicero s. D. Caecinae.

8

ne ultra Kal.
Ian tibi esse in
Sicilia liceret.
epist. 12.

sic libri uere-
ret, non, praec-
fituros.

CUM esset mecum Largus, homo tui stu-
diosus, locutus Kal. Ian. tibi praefinitas esse:
quod omnibus in rebus perspexeram, quae Bal-
buis, & Oppius, absente Caesare, egissent, ea so-
lere illi rata esse; egi uehementer cum his, ut hoc
mihi darent, tibi in Sicilia, quoad uellemus, uti
esse liceret. qui mihi cum suessent aut libenter
polliceri, si quid esset eiusmodi, quod eorum ani-
mos non offenderet; aut etiam negare, & affer-
re rationem, cur negarent: huic meae rogationi
potius non continuo responderunt: eodem die ta-
men ad me reuerterunt; mihi hoc dederunt, ut
esses in Sicilia, quoad uelles: se praestaturus, ni-
hil ex eo te offensionis habiturum. Quando,
quid tibi permittatur, cognouisti; quid mihi pla-
ceat, puto te scire oportere. Actis his rebus,
litterae a te mihi sunt redditae: quibus a me con-
siliium

AD TORQUATVM, ET ALIOS. 101

filiū petis, quid sim tibi auctor, in Sicilia ne sub-
fidas, an ut ad reliquias Asiaticae negotiationis
proficiscare. haec tua deliberatio non mihi conue-
nire uisa est cum oratione Largi. ille enim me-
cum, quasi tibi non liceret in Sicilia diutius com-
morari, ita locutus erat. tu autem, quasi con-
cessum sit, ita deliberas. sed ego, siue hoc, siue
illud est, in Sicilia censeo commorandum. pro-
pinq̄uitas locorum uel ad impetrandum adiuuat
crebris litteris, & nuncijs, uel ad reditus cele-
ritatem, re aut impetrara, quod spero, aut ali-
qua ratione confecta. quamobrem censeo ma-
gnopere commorandum. T. Furfano Postu-
mio, familiari meo, legatisq. eius, item meis
familiaribus, diligentissime te commendabo,
cum uenerint: erant enim omnes Mutinae. uiri
sunt optimi, & tui similitum studiosi, et mei ne-
cessarij. Quae mihi uenient in mentem, quae ad
te pertinere arbitrabor, ea mea sponte faciam.
si quid ignorabo, de eo admonitus omnium stu-
dia uincam. Ego, etsi coram de te cū Furfano ita
loquar, ut tibi litteris ad eum nihil opus sit; ta-
men, quoniam tuis placuit te habere meas litte-
ras, quas ei redderes, morem eis gessi. earum
litterarum exemplum infra scriptum est. Vale.

A R. G. Breuis est epistola, sed perfectae commendatio-
nis exemplum.

M. Cicero s. d. T. Furfano procos.

C V M A. Caccina tanta mihi familiaritas,

con-

quid suadeam
tibi. parum Ro-
mane loquun-
tur, qui dicunt,
auctor libri,
pro, scriptor.

Siciliae praefe-
to.

uide eandē sen-
tētiā ad Cras-
sum, ep. 8. l. 5.



a vetustate amicitiae.
a causis amicitiae.

a studiis.
a mutua benevolentia.

a commendationis causa.

refertur ad illud, quanti te fecerim.

ad illud refer, quanti te faciam.

consuetudoq. semper fuit, ut nulla maior esse possit. nam & patre eius, claro homine, & forti viro, plurimum usi sumus: & hunc a puero, quod & spem mihi magnam afferebat summae probitatis, summaeq. eloquentiae, & uivebat mecum coniunctissime non solum officijs amicitiae, sed etiam studijs communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerem. nihil attinet me plura scribere. quam mihi necesse sit eius salutem, & fortunas, quibuscunque rebus possim, tueri, uides. Reliquum est, ut, cum cognovim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de reip. calamitatibus sentires, nihil a te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte erga Caecinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intelligo. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

A R G. Pollicetur quidquid potest ad eius incolumitatem atque nullam spem fortunae melioris ostendit.

Cicero s. d. Trebiano.

E G O, quanti te faciam, semperq. fecerim, quanti me a te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis. nam & consilium tuum, uel casus potius diutius in armis civilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: & hic euentus, quod tardius, quam est aequum, & quam ego uellem, recuperes fortunam, & dignitatem tuam, mihi non minori curae est, quam tibi semper fuerint casus

cásus mei. itaque & Postumuleno, & Sextio, quod autem se-
 & saepissime Attico nostro, proximeq. Theudae, quitur, Calus
 liberto tuo, totum me patefecí: & his singulis mei, spectat il-
 saepe dixi, quacumque re possem, me tibi, & li- lud, Quanti me
 beris tuis satisfacere cupere: idq. tu ad tuos ue- a te fieri intelle-
 lim scribas, haec quidem certe, quae in potestate xerim.
 mea sunt, ut óperam, studium, consilium, rem, epist. 14.
 fidem meam sibi ad omnes res paratam putent.
 Si auctoritate, & gratia tantum possem, quan-
 tum in ea rep. de qua ita meritus sum, posse de-
 berem: tu quoque is esses, qui fuisti, cum omni
 gradu amplissimo dignissimus, tum certe ordi-
 nis tui facile princeps. sed quando eodem tempo-
 re, eademq. de caussa nostrum uterque cecidit: quia Pompeiũ
 tibi & illa polliceor, quae supra scripsi, quae sunt secuti sumus.
 adhuc mea; & ea, quae praeterea uideor mihi ex
 aliqua parte retinere tamquam ex reliquijs pri-
 stinae dignitatis. neque enim ipse Caesar, ut mul-
 tis rebus intelligere potui, est alienus a nobis: et
 omnes fere familiarissimi eius, cásu deuincti ma- non enim hoc
 gnis meis ueteribus officijs, me diligenter obser- spectabam, ut
 uant, & colunt. itaque, si quis mihi erit aditus eorum opera a-
 de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, in- liquando posse
 qua sunt omnia, agendi; quod quidem quotidie indigere.
 magis ex eorum sermonibus adducor ut sperem:
 agam per me ipse, & moliar. singula persequi
 non est necesse: uniuersum studium meum, &
 beneuolentiam ad te defero. sed magni mea in-
 terest, hoc tuos omnes scire, quod tuis litteris
 fier

uide simile sen-
tentiam in epi-
stola ad Vatinium,
quæ est xi.
lib. 5.

in aduersa for-
tuna.
epist. 13.

fructus studio-
rum in calami-
tate maxime ca-
pitur.

tractatis rebus,
notandis exem-
plis, cognoscen-
da antiquitate
trudimus.

quæ est, ut ho-
mo hominem
tueatur, & dili-
gat.

fieri potest, ut intelligant omnia Ciceronis pa-
tere Trebiano. hoc eo pertinet, ut nihil existi-
ment esse tam difficile, quod non, pro te mihi su-
scriptum, incundum sit futurum. Vale.

ARG. Excusatio, cur non scripserit: consolatio: pro-
missio meliorum rerum, & officii sui.

Cicero s. l. Trebiano. 10

ANTEA misissem ad te litteras, si genus
scribendi inuenirem. tali enim tempore aut con-
solari amicorum est, aut polliceri. consolatione
non utebar, quod ex multis audiebam, quam
fortiter, sapienterq. ferres iniuriam temporum,
quamq. te uehementer consolaretur conscientia
factorum, & consiliorum tuorum. quod qui-
dem si facis, magnum fructum studiorum opti-
morum capis: in quibus te scio semper esse uer-
satum: idq. ut facias, etiam atque etiam te hor-
tor. Simul & illud tibi, homini peritissimo ré-
rum, & exemplorum, & omnis uetustatis, ne
ipse quidem rudis, sed in studio minus fortasse,
quam uellem, at in rebus, atque usu plus etiam,
quam uellem, uersatus, spondeo, tibi acerbita-
tem istam, & iniuriam non diuturnam fore. nã
& ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi de-
labi ad aequitatem, & ad rerum naturam uide-
tur: & ipsa causa ea est, ut iam simul cum rep.
quæ in perpetuum iacere non potest, necessario
reuiuiscat, atque recreetur: quotidieq. fit ali-
quid lenius, & liberalius, quam timebamus.

quæ

quae quoniam in temporū inclinationibus saepe paruis posita sunt : omnia momenta obseruabimus, neque ullum praetermitteremus tui iuuandi, & leuandi locum. itaque illud alterum, quod dixi, litterarum genus quotidie mihi, ut spero, fiet proclinius, ut etiam polliceri possim. id re, quam uerbis, faciam libentius. Tu uelim existimes, & plures te amicos habere, quam qui in isto casu sint, ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim; & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas, et magnū: quod est in uno te. quae sunt in fortuna, temporibus regentur, & consilijs nostris prouidebuntur. Vale.

paullo facilius, ut est descensio per cliues.

occurremus, quantum licet, humano consilio. nam omnino uitare non licet.

ARG. Gratulatur de reditu in patriam impetrato: hortatur, ut praeterita ex animo deleat, dignitatisque recuperationem rei familiaris iacturae anteponat.

Cicero s. D. Trebiano. II

DO' LABELLAM antea tantummodo diligebam: obligatus ei nihil eram. nec enim acciderat mihi opus esse: & ille mihi debebat, quod non desueram eius periculis. nunc, tantum sum deuinctus eius beneficio, quod & antea in re, & hoc tempore in salute tua cumulatissime mihi satisfecit, ut nemini plus debeam. qua in re tibi gratulor ita uehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias agere, malim. alterum omnino non desidero: alterum uere facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi uirtus, &

generum Cicero. ep. 16. l. 2. & 13. lib. 8.

de quibus ep. 10. lib. 3.

quod per generum meum de tua salute a Caesare impetrauerim.

di-

puteolanus, de
quo in epist. ad
Att. saepe.

uide eandem
sententiam ep.
13. lib. 2.

de Ampio ep 3.
lib 1. & ep 29.
lib. 10.

caritas in te
mea faciebat,
ut apertius age
rem, quam per
nostram miserā
fortunam lice-
ret.

dignitas tua reditum ad tuos aperuit: est tuae sa-
pientiae, magnitudinisq. animi, quid amiseris,
oblivisci; quid recuperaueris, cogitare. uiues cū
tuis: uiues nobiscum. plus acquisiisti dignita-
tis, quam amisisti rei familiaris: quae ipsa tum
esset iucundior, si ulla res esset publica. Vēsto-
rius, noster familiaris, ad me scripsit te mihi
maximas gratias agere. haec praedicatio tua mi-
hi ualde grata est: eaq. te uti facile patior cum
apud alios, tum mehercule apud Sironem, no-
strum amicum. quae enim facimus, ea pruden-
tissimo cuique maxime probata esse uolumus.
Te cupio uidere quamprimum. Vale.

ARG. Gratulatur de reditu impetrato: & ad consola-
tionem adscribit quaedam perditis rebus aptiora.

Cicero s. D. Ampio Balbo. 12

GRATV'LOR tibi, mi Balbe, uēreq. gra-
tulator: nec sum tam stultus, ut te usura falsi gau-
dij frui uelim, deinde frangi repente, atque ita
cadere, ut nulla res te ad aequitatem animi po-
stea possit extollere. Egi tuam causam aper-
tius, quam tempora nostra ferebant, uincebatur
enim fortuna ipsa debilitatae gratiae nostrae tui
cāritate, & meo perpetuo erga te amore, cul-
to a te diligentissime. omnia promissa, confirma-
ta, certa, & rata sunt, quae ad reditum, & sa-
lutem tuam pertinent. uidi, cognoui, interfui.
etenim omnes Caesaris familiares satis opportu-
ne habeo implicatos consuetudine, & beneuo-
lencia,

lentia, sic, ut, cum ab illo discēsserint, me pro-
 ximum habeant. hoc Pansa, Hirtius, Balbus,
 Oppius, Matius, Postumius plane ita faciunt,
 ut me unice diligant. quod si mihi pro me effi-
 ciendum fuisset, non me paeniteret pro ratione
 temporum ita esse molitum. sed nihil est a me
 inferuitum temporis causa. ueteres mihi neces-
 situdines cum his omnibus intercedunt: quibus-
 cum ego agere de te non destiti: principem tamen
 habuimus Pansam, tui studiosissimum, mei cu-
 pidum; qui ualeat apud illum non minus auctori-
 tate, quam gratia. Cimber autem Tillius mihi
 plane satisfecit. ualent tamen apud Caesarem
 non tam ambitiosae rogationes, quam necessa-
 riae: quas quia Cimber habebat, plus ualuit
 quam pro ullo alio ualere potuisset. diploma sta-
 tim non est ratum; quod mirifica est improbitas
 in quibusdam, qui tulissent acerbius, ueniam tibi
 dari, quae illi appellant tubam belli ciuili: multa-
 que ita dicunt, quasi non gaudeant id bellum incidisse.
 quare uisum est occultius agendum, neque
 ullo modo diuulgandum, de te iam esse perfectum:
 sed id erit per breui: nec dubito, quin, legente te
 has litteras, confecta iam res futura sit. Pansa
 quidem mihi, grauis homo, & certus, non so-
 lum confirmauit, uerum etiam recepit, perce-
 leriter se ablaturum diploma. mihi tamen pla-
 cuit, haec ad te perscribi. minus enim te firmum
 sermo Appuleiae tuae, lacrymaeque. *Ampia* de-
 cla-

similiter locu-
 tus ep. 9. l. 1.

ep. 13. l. 4.

unus ex iis, qui
 mox in Caesare
 coniurarunt.
 Suetonius cum
 antea Caesaris
 partium defen-
 sor fuisse acer-
 rimus. Seneca
 l. 3. de ira.

feminis familia-
 rum nomina im-
 ponebantur.
 i. l. eo Ampia di-
 citur Ampia
 Balbi filia.

clarabant, quam significant litterae tuae. atque illae arbitrabantur, cum a te abessent ipsae, multo in grauiore te cura futurum. quare magnopere putavi, angoris, & doloris tui leuandi causa, procertis ad te ea, quae essent certa, perscribi oportere. Scis me antea sic solitum esse scribere ad te, magis ut consolarer fortem uirum, atque sapientem, quam ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi eam, quam ab ipsa rep. cum hic ardor extinctus esset, sperari oportere censerem. recordare tuas litteras, quibus & magnum animum mihi semper ostendisti, & ad omnes casus ferendos constantem, atque paratum. quod ego non mirabar; cum recordarer te & a primis temporibus aetatis in rep. esse uersatum; et tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis, fortunarumque communium; et in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solum ut uictor beatus, sed etiam, si ita accidisset, uictus ut sapiens esses. Deinde, cum studium tuum consumas in uirorum fortium factis memoriae prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quam obrem eorum, quos laudes, non te similem praebeas. Sed haec oratio magis esset apta ad illa tempora, quae iam effugisti. nunc uero tantum te para ad haec nobiscum ferenda. quibus ego si quam medicinam inuenirem, tibi quoque eandem traderem. sed est unum perfugium, doctrina, ac litterae, quibus semper usi sumus: quae secundis rebus dele-

Repitu bello. rum sedato.

in calamitatem ciuiliu con. tentionum.

eodem argumē to usus est ep. 13. lib. 4.

ep. 18. lib. 3.

ad communem seruitutem.

uide eandē sententiam ep. 3. l. 4. & 2. lib. 9.



AD TORQUATVM, ET ALIOS. 105
delectationem modo habere uidebantur, nunc ue-
ro etiam salutem. Sed, ut ad initium reuertar, ca-
ue dubites, quin omnia de salute, ac reditu tuo
perfecta sint. Vale.

A R G. Scribit, se bene sperare de Ligarii salute; ad
eamq. impetrandam omnia sua pollicetur. interim korta-
tur, ut aduersam fortunam moderate ferat.

Cicero s. D. Q. Ligario.

13 hic est, pro quo
extat Cicero-
nis oratio.

ET SI tali tuo tempore me aut consolandi,
aut iuuandi tui causa scribere ad te aliquid pro
nostra amicitia oportebat: tamen adhuc id non
feci; quia neque lenire uidebar oratione, neque
leuare posse dolorem tuum. postea uero quam ma-
gnam spem habere coepi, fore, ut te breui tempo-
re incolumem haberemus: facere non potui, quin
tibi & sententiam, & uoluntatem declararem
meam. Primum igitur scribam, quod intelli-
go, & perspicio, non fore in te Caesarem durio-
rem. nam & res eum quotidie, & dies, & opi-
nio hominum, & ut mihi uidetur, etiam sua
natura mitiorem facit. idq. cum de reliquis sen-
tio, tum de te etiam audio ex familiarissimis
eius: quibus ego ex eo tempore, quo primum ex
Africa nuncius uenit, supplicare una cum fra-
tribus tuis non destiti: quorum quidem & uir-
tus, et pietas, & amor in te singularis, & assidua,
& perpetua salutis tuae cura tantum proficit, ut
nihil sit, quod non ipsum Caesarem tributurum
existimem: & si tardius sit, quam uolumus,

aut consolari,
aut polliceri,
amicorum est,
ep. 10.

antitheta, mi-
tis, & durus.

de Pompei mi-
in] Africa uictis

sine cuiusquam
intercessione.

P magnis



quia bellum re-
nouassent. ep.
13. lib. 4.

ep. 10. 14 quod
mihi placeret,
ostendi.

dignitatem, &
gratiam.

ep. 2. 1. 1. & 14.
lib. 4.

cum intelligas
de tua salute
optime speran-
dum.

magnis occupationibus eius, a quo omnia pe-
tuntur, aditus ad eum difficiliore fuerunt: &
simul Africanæ causæ iratiór, diutius uelle
uidetur eos habere sollicitos, a quibus se pu-
tat diuturnioribus esse molestijs conflictatum.
sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remis-
sius, & placatius ferre. Quare mihi crede,
& memoriae manda, me tibi id affirmasse,
te in istis molestijs diutius non futurum. Quan-
do, quid sentirem, exposui: quid uellem tua
caussa, re potius declarabo, quam oratione.
et si tantum possem, quantum in ea rep. de qua
ita meritus sum, ut tu existimas, posse debe-
bam; ne tu quidem in istis incommodis esses.
eadem enim causæ opes meas fregit, quæ
tuam salutem in discrimen adduxit. sed tamen,
quidquid imago ueteris meae dignitatis, quid-
quid reliquiae gratiae ualebunt, studium, con-
siliium, opera, gratia, fides mea nullo loco dee-
rit tuis optimis fratribus. Tu fac habes fore-
tem animum, quem semper habuisti; primum
ob eas causas, quas scripsi; deinde, quod ea
de rep. semper uoluisti, atque sensisti, ut non
modo nunc secunda sperare debeas, sed etiam,
si omnia aduersa essent, tamen, conscientia &
factorum, & consiliorum tuorum, quaecum-
que acciderent, fortissimo, & maximo animo
ferre deberes. Vale.

A. R. G. Exorditur ab officii sui commemoratione; dein-
de, quid de réditu Ligarii opinetur, subiungit.

Cicero

Cicero s. D. Ligario.

14

ME scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere. nam cum te semper maxime dilexi: tum fratrum tuorum, quos aequae atque te, summa benevolentia sum complexus, singularis pietas, amorque fraternus nullum me patitur officij ergate, studijque munus, aut tempus praetermittere. sed quae faciam, fecerimque pro te, ex illorum te litteris, quam ex meis, malo cognoscere. quid autem sperem, aut confidam, & exploratum habeam de salute tua, id tibi a me declarari uolo. Nam si quisquam est timidus in magnis, periculosisque rebus, semperque magis aduersos rerum exitus metuens, quam sperans secundos, is ego sum: & si hoc uitium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen, cum ad 11. Kal. interkalares priores rogatu fratrum tuorum uenissem mane ad Caesarem; atque omnem adeundi, et conueniendi illius indignitatem, & molestiam pertulissem; cum fratres, & propinqui tui iacerent ad pedes; & ego essem locutus, quae causa, quae tuum tempus postulabat; non solum ex oratione Caesaris, quae sane mollis, & liberalis fuit, sed etiam ex oculis, & uultu, & multis praeterea signis, quae facilius perspicere potui, quam scribere, hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem fac animo magno, fortique sis: et, si turbidissima sapienter ferbas,

ep. 2. l. 1. & 14. lib. 4. & superiori.

quam in tua salute declarant.

cum tamen iam ipse scripserit.

qualis illa ad Att. l. 14. ep. 1.

potest esse fida oratio, sed oculi sunt indices animi.

anticheta, turbida, iraquilla.

P 2 rebus,

rebas, tranquilliora laeteferas. ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis: neque Caesari solum, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognoui, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo. Vale.

ARG. Continet haec epistola, omnium breuissima, gratulationem, beneuolentiam, officium.

Cicero s. D. Basilio. 15

gratulor, & gaudeo, in quo differant, hic locus aperte ostendit.

TIBI gratulor: mihi gaudeo. te amo: tuaeor. a te amari, & quid agas, quidq. istuc agatur, certior fieri uolo. Vale.

ARG. Insinuat se ad petitionem, mutui amoris commemoratione: petit autem, ut se absentem tueatur, siquidem gratum fore non dubitet.

Bithynicus s. D. Ciceroni. 16

Pópeiae gentis cognomen.

SI mihi tecum non & multae, et iustae causae amicitiae priuatim essent; repeterem initia amicitiae ex parentibus nostris: quod faciendum ijs existimo, qui paternam amicitiam nullis ipsi officijs profecuti sunt. itaque contentus ero nostra ipsorum amicitia: cuius fiducia peto a te, ut absentem me, quibuscumque in rebus opus fuerit, tueare; si nullum officium tuum apud me intermōriturum existimas. Vale.

intermortui dicuntur, qui deliquitum animi passi sunt.

ARG. Mirum declarat desiderium cum Bithynico uiuendi; & adicit, se esse illi amore coniunctissimum.

Q. Pópeio Bithynico. de quo in libro de claris or. causam huius co-

Cicero s. D. Bithynico. 17

CVM ceterarum rerum causa cupio esse aliquando reimp. constitutam: tum uelim, mihi credas

das, accidere id etiam, quo magis expetam promissum tuum, quo in litteris uteris. scribis enim, si ita sit, te mecum esse uicturum. gratissima mihi tua uoluntas est: facisq. nihil alienum necessitudine nostra, iudicijsq. patris tui de me, summi uiri. nam sic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus ualuerunt, aut ualeant, coniunctiores tecum esse, quam me, necessitudine neminem. quamobrem grata mihi est & memoria tua nostrae coniunctionis, & eius etiam augendae uoluntas. Vale.

gnominis fuisse Bithyniam deuictam, indicat Festus in dictione, Rurru.

quae accepisti a Caesariensis. uiderur Bithynicus in Caesariis partibus fuisse.

A. R. G. Respondet Leptae, qui praeconium fecissent, licere uis esse in decurionibus; scribit de bello Hispaniensi, de Leptae negotio, de Oratore suo, de mansione urbana.

Cicero s. D. Leptae.

18

SIMVL accepi a Seleuco tuo litteras, Flattim quaesui e Balbo per codicillos, quid esset in lege. rescripsit, eos, qui facerent praeconium, uetari esse in decurionibus; qui fecissent, non uetari. quare bono animo sint & tui, & mei familiares. neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatu Romae legerentur, eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipijs decuriones esse non licere. De Hispanijs noui nihil: magnum tamen exercitum Pompeium habere constat. nam Caesars ipse ad nos misit exemplum Paciaeci litterarum; in quo erat, illi XI. esse legiones. scripserat etiam Messalla Q. Salasso, P. Curtium, fratrem eius,

simul, pro flammul atque. uide de scholia nostra.

propter Spurinam, haruspice, a Caesare senatorio ordine donatum.

Cnaeum, Pompeii Magni filium.

L. Iunii Pacias comenit. Hirtius de bello Hispan.

P 3 iussu

iussu Pompeij, inspectante exercitu, interfectum; quod consensisset cum Hispanis quibusdam, si in opidum nescio quod Pompeius rei frumentariae causa uenisset; eum comprehendere, ad Caesaremq. deducere. De negotio tuo, quod sponsor es pro Pompeio: si Balbus consponsor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non desinam cum illo communicare, si quid expediri possit: quod uidebatur mihi ille confidere. Oratorem meum tantopere a te probari, uehementer gaudeo. mihi quidem sic persuadeo, me, quidquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contulisse. qui si est talis, qualem tibi uideri scribis; ego quoque aliquid sum: similiter; non recuso, quin, quantum de illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrahatur. Lep- tam nostrum cupio delectari iam talibus scri- ptis. et si abest maturitas aetatis: iam tamen per- sonare aures eius huiusmodi uocibus, non est inuti- le. Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus: sed, cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit; teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem. & mehercule non tam sum peregrinator iam, quam solebam. aedi- ficia mea me delectabant, & otium. domus est, quae nulli uillarum mearum cedat: otium omni desertissima regione maius. itaque ne litterae qui- dem meae impediuntur: in quibus sine ulla inter- pellatione uersor. quare, ut arbitror, prius hie te

nos,

librum de per-
fecto oratore.
ep. 20. l. 15.
de dicendi ratio-
ne, dixit lib. 1.
de or. 8. l. 2.

filiam tuam.

ex quo eam pe-
rulle, Plutar-
chus ait.
pro dote reddē-
da post dimis-
sam Tulliam.

nos, quam istic tu nos uidebis. Lepta suauissimus ediscat Hesiodum; & habeat in ore,

ἢ τῆς δ' ἀπετῆς ἰδῶτα. &c.

ARG. Cum Caesar ludos regionatim daturus esset, curationem eorum Lepta cupiebat. Cicero dissuadet. meminit Suetonius de his ludis in Iulii uita.

Cicero s. d. Leptae.

19

more suo nos omnes uersus recitat. idē de uirtute Simoni des apud Clementem Alexandr. l. 2. Stromatum.

puto esse Pompeium Maculā, de quo Macrobius lib. 2. Sat.

podagra.

id autem eo labore affecturum se sperabat Lepta, ut unus fieret ex iacturis Caesaris amicis.

de off. lib. 2.]

ueniebat Caesar ex Hispania uictor.

M A C V L A M officio functum esse gaudeo. eius Palernum mihi semper idoneum uisum est diuersorio: si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. ceteroqui is mihi locus non displicet. nec ea re Petrinum tuum deseram. nam & uilla, & amoenitas illa commorationis est, non diuersorij. De curatione aliqua munerum regionum, cum Oppio locutus sum, nam Balbum, postea quam tu es profectus, non uidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut se conueniri nolit. omnino de tota re, ut mihi uideris, sapientius faceres, si non curares. quod enim eo labore assequi uis, nullo modo assequere. tanta est enim intimorum multitudo, ut ex his potius aliquis effluat, quam nouo sit aditus. praesertim qui nihil afferat praeter operam, in qua ille se dedisse beneficium putabit, si modo ipsum sciet, non accepisse. sed tamen aliquid uidebimus, in quo sit spes. aliter quidem non modo non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me Asturae diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque ueniat. Vale.

P 4

ARG.

ARG. Monet Toranium, ut in Sicilia commoretur, quoad scire possit, quid sibi agendum sit. clausula consolationis nescio quid continet.

Cicero s. d. Toranio.

20

id est, & praeter illud, ut duae negatiuae affirmant.

quia propinquo loco eris.

in hac tota re, quae ad te pertinet.

DEDERAM triduo ante pueris Cn. Plancij litteras ad te: eo nunc ero breuior, teque, ut ante consolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utilius, quam ibidem opperiri, quoad scire possis, quid tibi agendum sit. nam, praeter nauigationis longae, & hiemalis, & minime portuosae periculum, quod uitaueris; ne illud quidem non, quamuis subito, cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci: nihil est praeterea, cur aduenientibus te offerre gestias. multa praeterea metuo, quae cum Cilone nostro communicauimus. quid multa? loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocumque opus erit, facillime, & expeditissime conseras. quod si recipiet ille se; ad tempus aderis. sin, quoniam multa accidere possunt, aliqua res eum uel impediet, uel morabitur: tu ibi eris, ubi omnia scire possis. hoc mihi prorsus ualde placet. De reliquo, ut te saepe per litteras hortatus sum, ita uelim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod timendum sit, praeter commune casum ciuitatis. qui etsi est grauissimus: tamen ita uiximus, & id aetatis iam sumus, ut omnia, quae non nostra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. Hic tui omnes ualent, summaque pietate

pietate te desiderant, & diligunt, & colunt. Tu
& cura, ut ualeas; & te istinc ne temere com-
moueas.

ARG. Ad consulandum Toranium praeterita colligit;
& quid ipse fecerit, quasi exemplum ad imitandum pro-
ponit.

Cicero s. D. Toranio. 21

ET SI, cum haec ad te scriberem, aut ap-
propinquare exitus huius calamitosissimi belli,
aut iam aliquid actum, & confectum uidebatur:
tamen quotidie cōmmemorabam, te unum in tan- memoria repe-
to exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi; so- tebam.
losq. nos uidisse, quantum esset in eo bello mali,
in quo, spe pacis exclusa, ipsa uictoria futu-
ra esset acerbissima, quae aut interitum allatu-
ra esset, si uictus esses, aut, si uicisses, serui-
tutem. itaque ego, quem tum fortes illi uiri, &
sapientes, Domitij, & Lentuli, timidū esse
dicebant, (& eram plane: timebam enim, ne
euenirent ea, quae acciderunt) idem nunc ni-
hil timeo, & ad omnem euentum paratus sum.
cum aliquid uidebatur cauere posse, tum id ne-
gligi dolebam: nunc uero, euersis omnibus re-
bus, cum consilio profici nihil possit, una ratio
uidetur, quidquid euenit, ferre moderate; prae-
sertim cum omnium rerum mors sit extremum;
& mihi sim conscius, me, quoad licuerit, digni-
tati reip. consuluisse, & hac amissa, salutem reti-
nere uoluisse. Haec scripsi, non ut de me ipse dice-
rem, sed ut tu, qui coniuētissima fuisti mecum et
senten-

ob cōtumacem
arrogantiā Pō-
peianorum.
cū uel iniquis-
simam pacem
iustissimo bello
anteferrem: ep.
13. l. 5. intelli-
git autem Do-
mitium, L. Len-
tulum Cruscel-
lum, consuelem
anno primo cō-
cilis belli.

reipublicae.

a conscientia
optimae mētis

praeter cōmu-
nem casum ci-
uitatis, dixit in
proxima supe-
riore epistola.

ep. 13. lib. 4.

id est post pu-
gnam Pharsali-
cam renouare
bellū cum aliis
uoluisses.

sententia, & uoluntate, eadem cogitares. M A-
GNA enim consolatio est, cum recordāre, etiam
si secus acciderit, te tamen recte, uereq. sensisse.
atque utinam liceat aliquando aliquo reip. statu
nos frui, interq. nos conferre sollicitudines no-
stras, quas pertulimus tum, cum timidi putaba-
mur, quia dicebamus ea futura, quae facta sunt.
De tuis rebus nihil esse, quod timeas, praeter uni-
uersae reip. interitum, tibi confirmo. De me au-
tem sic uelim iudices; quantum ego possim, me ti-
bi, salutis tuae, liberisq. tuis summo cum studio
praesto semper futurum. Vale.

ARG. Domitium, interitu amicorum dolentem, rogat,
ut, cum reip. iam satisfecerit, incolumitati suae consulat.

Cicero s. D. Domitio.

NON ea res me deterruit, quo minus, po-
stea quam in Italiam uenisti, litteras ad te mit-
terem, quod tu ad me nullas miseras; sed quia
nec quid tibi pollicerer, ipse egens rebus omni-
bus, nec quid suaderem, cum mihi met ipsi consi-
lium deesset, nec quid consolationis afferrem, in
tantis malis reperiēbam. haec quamquam nihilo
meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo de-
speratiora: tamen inanes esse meas litteras, quam
nullas, malui. Ego, si te intelligerem plus cona-
tum esse suscipere reip. causa muneris, quam quā-
tum praestare potuisses, tamen, quibuscumque
rebus possem, ad eam condicionem te uiuendi,
quae daretur, quaeq. esset, hortarer. sed cum
consi-

*cōsiliij tui bene, fortiterq. suscepti eum tibi finem
 statueris, quem ipsa fortuna terminum nostrarum
 contentionum esse uoluisse: oro, obtestorq. te pro
 nostra uetere coniunctione, ac necessitudine, proq.
 summa mea in te beneuolentia, & tua in me pa-
 ri, te ut nobis, parenti, coniugi, tuisq. omnibus,
 quibus es, fuistiq. semper carissimus, saluum con-
 serues; incolumitati tuae, tuorumque, qui ex te
 pendent, consulas; quae didicisti, quaeq. ab ado-
 lescentia, pulcherrime a sapientissimis uiris tra-
 dita, memoria, & scientia comprehendisti, ijs
 hoc tempore utare; quos coniunctos summa bene-
 uolentia, plurimisq. officijs amisisti, eorum desi-
 derium si non aequo animo, at forti feras. Ego,
 quid possim, nescio, uel potius me parum posse sen-
 tio: illud tamen tibi polliceor, me, quaecumque
 saluti, dignitatiq. tuae conducere arbitrabor, tan-
 to studio esse facturum, quanto semper tu & stu-
 dio, & officio in meis rebus fuisti. hanc meam uo-
 luntatem ad matrem tuam, optimam feminam,
 tuiq. amantissimam, detuli. si quid ad me scripse-
 ris; ita faciam, ut te uelle intellexero: sin autem
 tu minus scripseris; ego tamen omnia, quae tibi
 utilia esse arbitrabor, summo studio, diligenterq.
 curabo. Vale.*

quasi proelio
 Pharisalico sua
 uoluntatem de
 tora re fortuna
 declarasset.

nō enim possu-
 mus nō dolere:
 sed dolorē pre-
 mere, & uince-
 re fortitudine
 possumus.

CICERONIS

CICERONIS EPISTOLARVM

AD MARIVM, ET ALIOS,
LIBER VII.

ARGVMENTVM.

Ludos, quos Pompeius Magnus iterum consul dedit, describit, & extenuat; utrumque ob eam causam, ne Marium eos praetermisisset paeniteret.

M. Cicero s. d. M. Mario.

IT E dōlor aliquis corporis, aut in-

dolor corporis
refertur ad po-
dagram, quae
Marium saepe
uexabat. ep. 4.

S firmitas ualitudinis tuae tenuit, quo-

ab iis relictus,
qui ad ludorum
spectacula in ur-
bem se contule-
rant.

cum Romacho,
scilicet, dixit.

minus ad ludos uenires: fortunae ma-
gis tribuo, quam sapientiae tuae. sin haec, quae
ceteri mirantur, contemnenda duxisti, & cum
per ualitudinem posses, uenire tamen noluisti:
utrumque laetor, & sine dolore corporis te fuis-
se, & animo ualuisse, cum ea, quae sine causa
mirantur alij, neglexeris: modo ut tibi constite-
rit fructus otij tui: quo quidem tibi perfrui miri-
fice licuit, cum esses in ista amoenitate paene so-
lus rēlictus. neque tamen dubito, quin tu ex illo
cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti,
& patefecisti Seianum, per eos dies matutina
tempora lectiunculis consumpseris: cum illi inte-
rea, qui te istuc reliquerunt, spectarent commu-
nes mimos semisomni. reliquas uero partes diei tu
consumebas ijs delectationibus, quas tibi ipsi ad
arbitrium tuum compararas. nobis autem erant
ea perpetienda, quae scilicet P. Metius proba-
uisset. omnino, si quaeris, Audi apparatusissimi, sed
non